

tet te testimonium bonum habere ex his, qui foris sunt. Licet coram Deo recte incedas, tamen coram hominibus bona providenda sunt, quia et astutiores sunt filiis lucis filii tenebrarum. Cum ergo hoc genus a te non amputatur, das reprehendentibus te locum, ipse te detrahentium morsibus tradidisti, si agapetarum consortium non dimiseris. Benignus es, gaudeo: pudicus, falsum est. Si aliquis senserit clericum habitare cum foeminis, non credit eum esse castum. Si pudicitiam quaeris, quare habitas cum foeminis? Foeminam quam bene videris conversantem, mente dilige, non corporali frequentes ornatu. Non vestis tenera clericum facit, aut sacerdotem, sed casta mentis intentio. Haec enim devotionem honoris in te custodit. Honorem quidem gloriosum boni operis fama conservat. Sacerdotes quippe decet, vel caeteros clericorum gradus, ut supra dictum est, a foeminis segregari. Si igitur generis gratia iudicas easdem nullo pacto dimittere, memento Thamar, quod ab Amnon fratre suo corrupta sit. Id ipsum persequor, dilectissime, ubi unius est tabernaculi conversatio, carnis non facile tollitur delectatio. De duobus enim quod unus desiderat, etsi loqui non potest, tentatur tamen. Remotio igitur viri, castitatis collocat arma, construit in melioribus castra, pudoris honorem consolatur. Potuit enim et Maria Mater Domini de choro Apostolorum non discedere, si liceret. Thecla post tentationem passionis Antiochiae, a Paulo prohibetur pariter pergere. Nemo miles cum uxore pergit ad bellam. Non invideo caritati tuae, sit tibi cum castis virginibus longaeva dilectio. Tunc in bono meritum collocabis, et famam meliorabis, si congregationes constituis puellarum: pulchre censeo in hebdomada secunda visitatione ad benedicendum congregationem venias, sed non solus, ne rumigeruli linguis te lacerantibus maculent. Alienam enim cupiunt vicini discutere vitam, non suam. Propterea digne accipe meorum praecepta verborum, et monita humilitatis, quae fraterno affectu cala-